





*[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]*





82

6

I. N. J.

Ex

METAPHYSICIS

DISPUTATIONEM

De

AFFECTIONI-

BUS ENTIS IN GENERE,

PRÆSES

M. PETRUS Stamm /

Halberstadensis,

RESPONDENTE

JOHANNE HEINRICO SCULTETO,

Torgensi Misnico,

*publicæ Philosophorum ventilationi*

*exponit*

*Ad D. IX. Septembr. ANNO M. DC. LXVIII.*

*in Auditorio Minori.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN





VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, religiosa Pietate, singu-  
lari Prudentia, eximia Autoritate, multoq; rerum  
usu Excellentissimis*

DOMINIS

CONSULIBUS,  
JUDICIBUS, CAMERARIIS,  
cæterisq; inclyti SENATUS Tor-  
genfis MEMBRIS,

Domini Patronis, Promotori-  
bus ac Fautoribus meis ævi-  
ternum suspiciendis, co-  
lendis

---

hæc Primitias Academicas

D. D. D.

*Johannes Henricus Scultetus.*







I. N. J.



Veritas sola illa & unica mentis hu-  
 manæ meta est, quam ut assequamur, omnem la-  
 borem, sudorem omnem susque deq; habet ho-  
 mo sciendi desiderio flagrantissimus. Nam se-  
 cundum Philosophum πάντες ἄνθρωποι τῆ φύσει τῶ εἰδέναι  
 ὀρέονται. Et quemadmodum Voluntati nostræ acceptius ni-  
 hil est quam bonū : ita & intellectus, si veritatem adipiscitur  
 cognoscibilem pabulo fruitur dulcissimo, in quo etiā pla-  
 cidissimè acquiescit. Veritas hæc omnium rerum est, veri-  
 tatem igitur omnibus in rebus nostra cognoscendi Facultas  
 inhiat. Nos impræsentiarum veram Affectionum Naturam  
 investigaturi, sequentem Disputationis præsentis propono-  
 mus Affectionum Definitionem, & quidem

SECTIONE PRIORI THETICA

ejusq;

THESI I.

Affectiones Entis in genere sunt realitates tran-  
 scendentales ex Essentia Entis per se fluo-  
 entes, idemq; ἀπαρνούμεως denominantes,

Εκθεσις.

S. I.

Constat hæc Definitio Definito & Definitione. Definitū Affe-  
 ctiones Entis sunt. Affectio, quantum ad originem, ex Verbo  
 facio est deducta, & Præpositione ad, qua derivatione, quin,  
 sicut alias termini rerum signa sunt atq; symbola, constitui  
 onis modus Affectionibus proprius subinnuatur, nulli du-  
 bitamus. Etenim ubi Essentia nulla, ibi nulla Affectio quoq;  
 præsentissima est. Essentia igitur quodvis Ens facit, seu à pri-

A 2

ori





ori constituit. Sed cum Deus & Natura nihil faciant frustra, & verò, nulla substantia creata (his enim Affectionis vocem primario & secundum primam impositionem convenire, opinamur) immediatum suarum operationum principium sit: Affectiones quoque sui quod est in constitutione subjecti muneris exequuntur, & afficiunt, at cum Essentia in subjecto constituendo & absolvendo concurrunt, ut perfectum illud atque completum fiat, suasque ad Actiones & Passiones aptum reddatur.

§. 2. Cum Affectiones Entis dicimus, Ens non homonymice sed synonymicè sumendum esse statuimus, ita quidem, ut quæadmodum Ens Rationis, per Accidens, Negativum, & in potentia nominatenus saltè Entia sunt (ad Entis enim objecti metaphisici constitutionem nihil faciunt:) sic & Affectiones Entis Rationis, per Accidens &c. verarum Affectionum nomine venire infitiamur.

§ 3. Dicuntur hæc Entis Affectiones aliàs Attribute Entis propter extra essentialem suam, quam ad Ens inferunt, habitudinem. Sunt aliqui Metaphysicorum, qui Attribute vocem in locum vocabuli Affectionis substituendam esse contendunt: Rationem subjiciunt hanc; Attribute terminus inquit, nullam formaliter inportat compositionem, sed Affectionis vox sine compositione non datur. Resp. dabitur si debito modo amplietur. Imo penetrantior hæc dictio (Affectio) est quam attributum (verba sunt Excellentiss. Dom. Trentschii Log. & Met. P. P. Col. Metaph. Dis. 3. Th. 2. §. 2.) quia hoc interdum de re solummodo per actum intellectus & quidem intrinsece predicatur. Dicuntur itidem Affectiones modi Entis, Modi quoque vocabulum est ἐκ τῶν πολλὰχῶς λεγομένων. Homonymiam vid. apud Kesslerum Met. Phot. p. m. 37. Nos hoc loco non sumus de modis contrahentibus, qui aliam prorsus naturam habent, sed affitientibus solliciti. Alia synonymima scientes, volentes seponimus.

§. 4. Definitio (quo vocabulo hic non stricte utimur) conceptu communi constat, & proprio, ille his significatur verbis: Affectiones Entis sunt Realitates transcendentales. Cum dicimus Realitates Affectiones Entis esse, duo inuimus, primò quod





quod non omninò nihil sint Affectiones Entis, nec tamen Entia  
seures strictè sic dictæ. Quod nò sint simpliciter nihil, probamus  
(1) quia per se & ex sua natura & sic nobis non cogitantibus En-  
ti vere conveniunt, Ens enim Unum, Verum, Bonum est, licet  
nemo de Entis Unitate, Veritate, Bonitate cogitet. Om-  
ne Ens per se, non propter nostram rationem unum est. Omne  
Ens per se, non propter nostram rationem verum est. Quan-  
quam enim veritatem illam inveniat intellectus in Ente, non  
tamen debet eam Ens intellectui, sed suæ naturæ, suo creato-  
ri, à quo naturam habet. Cornel. Martini in sua Metaph. p.  
90. (2) quia vera sunt atq; realia Entis prædicata, nam (α) in-  
tellectum commovent seu afficiunt, cum eidem repræsentan-  
tur, ita ut species affectionum intelligibiles formare necessum  
habeat. (β) quia realiter cum Ente idem sunt (γ) cum eodem  
reciprocantur, & (δ) Ens extraessentialiter & intrinsicè deno-  
minant &c. (3) Quia tales sunt affectiones quales à subjectis esse  
permittuntur, inquit B. Scharffius Theor: transc. Disp: 8. Can.  
2. Ens autem, quò permittet, ut affectiones simpliciter nihil sint?  
Nam simpliciter nihil esse, & tamen prædicatum Entis reale at-  
q; intrinsicè esse, aperte contradictoria sunt. (4) quia per se  
cognoscibiles sunt, quod non est simpliciter non Entium sed  
verarum Entitatum. vid: Reverendiss: nostrum D. D. Calovium Gno-  
stol. p. 5. Vanus enim est ille conceptus, cui nihil profus respon-  
det in re. M. Thom. Sagitt: Axiom: Metaph: Dec. VI. Ax. 1.

§. 5. Sed ob ea, quod affectiones non simpliciter nihil sunt,  
asserendum non est, easdem esse Entia s. res. Quicquid enim Ens  
est, illud vi Essentiæ suæ unum, verum, bonum est. Fingamus  
jam affectiones Entis ejusmodi Entia esse, istarum certe affecti-  
onum, ut Entium novæ darentur affectiones, quæ denuo vel  
simpliciter nihil essent, quod tamen falsum est ex demonstratis,  
vel Entia vel Entitates: Si Entia essent, novæ inde affectiones  
exurgerent & sic porrò in infinitum. Quæcumq; igitur sententia  
processum in infinitum infert, ut absurda rejicienda venit.  
At sententia ea, quæ statuit Affectiones Entia esse infert pro-  
cessum in infinitum. Ergo. Major probatur, quia proces-  
sus in infinitum absurdus est. Minor probata est, stat ergò



Conclusio. Diminutam ergò essendi rationem habent Affectiones Entis, quo modo B. Scharffius in Met. Exempl. & Magnif. Dn. D. Calovius in Metaph. Div. p. 196. & alii Entitatem Essentiæ contradistingvunt.

§. 6. Conceptus contrahilis proximus Affectionum Entis est transcendentalitas, sunt enim realitates *transcendentales*. Transcendentales dicuntur respectu *realitatem prædicamentalem*. Nam sicut Ens ipsum Prædicamenti supereminet, ita & ejus Atributa, cum ejusdem sint indolis, prædicamentorum limitibus circumcingi haudquaquam poterunt, cum universalitate ac latitudine Enti non cedant. Imo si Substantia & Accidens Partis specialis in Prædicamenti non sunt, multominus Affectiones, quibus illa nempe Substantia & Accidens substant.

§. 7. Conceptum contrahibilem contrahens excipit, quem sequentia verba designant: Affectiones Entis sunt realitates, transcendentales, *ex Ente per se fluentes, idemq; τὰ πρῶτα denominantes*. Ens principium est, fons & origo nec nõ subjectum Affectionum; fluunt enim ex ejus essentia; quamquam alio prorsus modo atque prædicamentales: hæc enim ex suorum subjectorum essentia fluunt, tali fluxu, ut inter id quod effluit & unde fluit realis sit differentia. Ea propter & Causæ Efficientes dicuntur Affectionum suarum per Emanationem. At inter Effectum & Causam reale datur discrimen. Qualis autem Affectionum nostrarum ratio est? fluunt ex Ente, sed ita tamen, ut ejus Essentia & Affectiones formaliter *a se invicem distingvantur, non realiter*.

§. 8. Desumpta autem differentia est 1. ab Affectionum Origine seu Principio, 2. à Subjecto & 3. ab emanationis & denominationis modo. I. Principium Affectionum est Ens ipsum seu Entis natura & Essentia. Non autem de principio loquimur essendi, quod nullum hic locum obtinet, essent enim aliàs Affectiones vera Accidentia realiter à natura Entis distincta, sicut facultates animæ rationalis ab animæ essentia realiter distingvuntur: sed utimur principii vocabulo prout designat principium cognoscendi. Utut ergo



go nullus hic Affectionum processus sit realiter ab essentia distinctus, sufficit tamen, quod secundum nostrum concipiendi modum aliquis Affectionum detur processus. Etenim sicut is, qui Spiritum mente concipit, non statim simplicitatem ex spiritualitate fluentem concipit; & qui Deum concipit, non statim Infinitatem, Immensitatem, Omnipræsentiam concipit: ita nec is, qui Ens concipit, Unitatem, Veritatem &c. concipit. Distinctè enim intellectus noster in rerum cognitione procedit, nec uno simplicissimo actu atque intuitu omnia alicujus rei momenta cognoscendo exhaurit, sed primò omnium essentiam seu naturam rei, postea quæ naturam consequentiâ necessariâ excipiunt cognoscit & intellectu suo persequitur. 2. Differentia desupta à subjecto est. Nam *πρωτον δεξιον* Affectionum transcendentium est ipsa Essentia, cui (denuò hoc secundum nostrum concipiendi modum duntaxat intelligendum est) immediatè ut subjecto suo insunt, cum quo etiam recipiuntur. Sed secundum quem statum Ens Affectionum suarum subjectum sit hic quæritur? Respondet ad hoc, ut solet, accuratissime Magnif. Dn. D. Calovius Met. Div. p. 264. & 265. Ex pluribus verbis quæ hac de re ibi leguntur, hæc allegare juvat: *Paucis, inquit, Affectiones verificantur de Ente, idemq; denominare intelliguntur in suppositione personali, non simplici: dicuntur de Ente restricto non abstracto: competunt Enti exercitè non signatè: vel tribuuntur eidem non prout primò cognitum est, quàm sicuti est in singularibus radicatum.* 3. Denominationis modus observatu dignus est. Fluunt ergò Affectiones ex Ente *per se*. Fluxus n. hic immutabilis est & necessarius, perpetuoq; cum subjecto suo conjunctus. Etenim, si propria realiter ab Essentia subjecti sui distincta eademq; naturâ posteriora sine subjecti annihilatione atq; interitu ab eo abesse, vel separari nequeunt: nostræ Affectiones omnem absentia vel separabilitatis rationem simpliciter excutient; cum non reale discrimen, nec naturæ posterioritas hic locum mereatur, sed sola ratio & differentia & posterioritatis principium sit. Nam

Entis



Entis Metaphysici tam sublimis est generalitas & generalis  
sublimitas, ut etiam ipsi Deo commodissime conveniat. A-  
rist. 8. Met. T. 46. Sub Ente enim immediatè Substantia de-  
prehenditur & Accidens, sub substantia spiritus & corpus,  
sub spiritu Deus; Sicut igitur Spiritus Unus, Verus, Bonus  
est, quia substantia est, & tandem Ens: Ita & Deus Unus, Ve-  
rus, Bonus erit, quia Spiritus est. Sed quemadmodum Unitas  
à Deo sola ratione distinguitur, & sine rationis nostræ re-  
spectu cum Deo identificatur: ita & eadem Entis est ratio,  
quia illud synonymicè ad Deum sese habet, & Defini-  
tionem suam & omnia essentialia predicata inferioribus suis  
& sic Deo quoque communicat.

§. 9. Porro modum essendi modo denominandi se-  
quitur. Ut igitur Affectionis sunt extræ subjecti sui nempe  
Entis Essentiam, non uti dictum est realiter, sed *ratione*: ita  
*modus denominationis idem erit*, propterea dicitur, quod Ens  
denominent *καρῶν μῶς* seu *extræessentialiter*. Hoc tamen  
probè observandum est, quod hic denominationis modus  
toto cælo à denominationis modo predicamentali distin-  
guatur. Hic enim modus vulgaris est, ille singularis, hic En-  
tium tantum finitorum, ille etiam infiniti, hic cum reali à  
subjecto differentia adeoque vera compositione & per con-  
sequens imperfectionis illatione conjunctus est: ille ipsum  
subjectum est realiter ab omni vel compositionis vel imper-  
fectionis illatione immunis. Hæc sunt illa Differentiæ mo-  
menta quibus Affectiones nostræ in proprio esse constituun-  
tur, & ab aliis realitatibus transcendentalibus distingvun-  
tur.

§. 10. Seqvuntur Requisita. Affectiones igitur Entes  
sint 1. conceptus Entis secundi: nam si ipsam Entis conceptum  
primum ingrederentur, ne ratione quidem ab Ente distingve-  
rentur, & sic solveretur omnis Affectionum societas. 2. realiter  
seu materialiter cum Ente idem sint. *Nulla ergò in Ens Metaphy-  
sicum cadit compositio realis*, sed simplicissimum illud est, *o-  
mnisq; imperfectionis ex pers.* Distingvuntur hoc nomine Affectio-  
nes Entis ab Affectionibus predicamentilibus atq; vulgaribus, quæ  
non



non ratione tantum, sed & *essentia* ipsa à subjectis suis distinc-  
guuntur, quæ causa est, cur non nisi in concreto de subjectis  
prædicentur. 3. sint cum Ente reciprocabiles, quicquid enim  
ex *essentia* Entis Ens ut tale est, constituente, necessariò per-  
petuoq; fluit, & cum eodem vinculo prorsus indissolubili con-  
nexum est, illud reciprocetur cum Ente necessum est. Obquam  
causâ? quia ubicunq; *Essentia* est id ipsum est. Sicut igitur *Essen-*  
*tia* cum Ente convertitur, ita & *Affectiones* perpetuæ ejusdem  
sunt comites. 4. Denominent Ens *παρωνύμως*, eodemq; certo  
respectu posteriores sint, posterioritate scilicet non Entis, sed  
*mentis*.

Theſis II

**Affectiones Entis duplices sunt, Unitæ & Dis-**  
**junctæ. Illæ perse, hæc cum opposito**  
**membro cum Ente recipiuntur.**

Expositio

Omnes in universum *Affectiones* Entis omnem latitudinem ejus  
exhaustire debent; cum vero *Affectio* subjectum sit Ens non in sta-  
tu objectio idealis sed fundamentalis unius generis esse neque-  
unt. Sic unitas e.g. in omnibus *Entitatibus* fundamentum re-  
perit; at causa, principium, necessarium, independens &c. non  
omnibus promiscuè *Entibus* salva veritate applicari possunt;  
obstant enim omnes creaturæ, quæ respectu Dei non causæ  
sunt, sed effectus, non principia, sed principjata, non necessa-  
riæ sed contingentes, non independentes sed dependentes &c.  
Quædam ergo *Affectio* perse absolute simpliciter & sine  
opposito membro cum Ente convertuntur, & propterea unitæ  
dicuntur: Quædam respectivè, cum opposito membro & sub-  
disjunctione *Entis* latitudinem exhaustiunt, & ob ea disjunctæ  
dici merentur.

**SECTIO POSTERIOR PROBLEMATICA**  
**PROBLEMA I.**

B

An



## An & qualis detur Affectionum demonstratio ?

Not. 1. Nō quæritur de Affectionibus prædicamentali-  
bus, sed transcendentalibus. Nā sicut in priori sectione Affectionū harū  
duntaxat naturā descripsimus, ita & illas hoc loco non intelli-  
gēdas volumus. Not. 2. Distingvendū est inter principia essendi,  
qualia sunt Materia, Forma, Efficiens, Finis & Cognoscendi,  
hæc vel ipsa essendi principia includunt, quia per quæ res con-  
stituitur per eadem etiam cognoscitur: vel Principiis essendi  
cōtradistingvuntur, & ita principia cognoscēdi tantū sunt. Not.  
3. Hæc cognoscēdi principia vel incōplexa sunt vel cōplexa illa  
sunt certæ rationes inferendi à priori, ita quidem ut propter il-  
lorum positionem non possint non attributa poni, aded, ut li-  
cet non formaliter, ut Causæ, virtualiter tamen causent: Hæc  
vero integræ sunt in fallibilis veritatis Enuntiationes. Not.  
4. Distingvendum est inter demonstrationem primariam, quæ  
per principium formaliter causans Affectionem realiter  
à subjecto suo diversam, naturaq; posteriorem demonstrat, &  
secundariam seu Analogicam, ad quam sufficit conclusio ne-  
cessaria ex principiis necessariis & infallibilibus æternæq; veri-  
tatis illata. Not. 5. Distingvendum est inter demonstrationem  
ostensivam & per impossibile. Not. 6. Distingvendum est inter  
scientiam *πρωτης* & *δευτερας* talem, His præmissis sequentes  
subjicimus

### Conclusiones.

I. Affectiones transcendentales non possunt de  
Ente demonstrari Demonstratione prima-  
ria.

*Κατασκευη*

Quia I. hic desunt Demonstrationis primariæ requisita  
nempe (1) Principia formaliter causantia & effectū realiter à se  
distinctum producentia: (2) Affectiones inhærentes subjectiq;  
sui essentiâ naturâ posteriores. (3) Subjectum particulare (4)  
compositio realis.

Quia



Quia II. Sapiencia est Metaphysica, adeoq; non scientia multo minus scientia *πραῖως* sic dicta, in qua sola illud Demonstrati-  
onis genus conspicuum est.

Quia III. nullum hoc loco reale discrimen est inter subjectum,  
Principium & affectiones.

II. Affectiones transcendentales possunt de Ente demonstrari Demonstratione secundaria.

Quia hic datur. 1. Subjectum nempe Ens. 2. Principium  
n.p. Essentia, quæ ratio inferendi est à priori. 3. Affectiones à  
subjecto distinctæ eodemque posteriores formaliter.

III. Affectiones demonstrari de Ente possunt  
Demonstratione per Impossible.

Quia si Ens non esset unum, &c. idem simul esset & non  
esset.

*Ἀνασκευή.*

Contrarium asserunt illi, qui vel ex Principiorum co-  
gnoscendi præsentia, vel ab Affectionum per qualescunq;  
causas de subjecto demonstratione veram & in rigore sic di-  
ctam Demonstrationem inferunt, & propterea Metaphysi-  
cam convenientius Genus, quam scientiam sibi vindicari nō  
posse, autumant. *Demonstratio*, inquit B. Jac. Mart. Inst. Log.  
Lib. 5. p. 592. est *Syllogismus scientiam pariens ex necessariis*. Verū  
Demonstrationis hæc descriptio generalis est. Cōsequētia au-  
tem nulla est, quæ à genere ad determinatam speciem pro-  
cedit. Si igitur diligens objectionum cum Distinctionibus  
*κατασκευή* præmissis instituat collatio, facilis quoq; earū  
omnium erit solutio.

PROBLEMA II.

An & quale sit inter Affectiones & Ens  
discrimen?

*Κατασκευή.*

Not. I. Problema hoc pro substrata materia intelligen-  
dum

B 2



dum est, non igitur de Affectionum prædicamentaliū vel  
existentia vel qualitate quæritur, sed de transcendentalibus  
Affectionibus. 2. Distingvendum est inter discrimen reale &  
rationis, & 3. inter discrimen rationis ratiocinantis & ratio-  
cinatæ.

κατασκευή.

### Conclusio I. Datur maximè inter Affecti- ones & Ens discrimen.

Probatur hæc Conclusio (1) à Naturâ Essentiæ; Essen-  
tia enim cuiusvis rei illud est, cuius nulla ratio suppeditari  
potest, cur ea subjecto & à priori quidem nisit. Ita & ratio  
à priori nulla est, cur Ens Metaphysicum essentiam habeat.  
At Ens quando Unum, Verum, Bonum est, ratio Unitatem,  
Veritatem &c. à priori inferens in promptu est: nam pro-  
pterea quia Ens *habet essentiam* est Unum, Verum, bonū &c.  
Sicuti ergò inferens & illatum non sunt simpliciter idem, ita  
nec Ens & Affectiones. (2) Quia totā Entis quidditatem cōci-  
pere possumus, nō simul cōceptis Affectionibus (3) quia Affe-  
ctiones Affectiones sunt & Attribute, sed hoc non essent, si  
nullum simpliciter discrimen inter Ens & eius daretur Affe-  
ctiones. Affectio enim vel Attributum aliās sui ipsius affe-  
ctio vel Attributum esset. (4) quia Essentia conceptus primus  
Entis est, Affectiones secundi. Jam vero secundum non est  
formaliter primum.

### Conclusio II. Hoc tamen discrimen non reale est.

Probatur (1) quia, si vel maximè omnia quæ realiter ab  
Ente distinguntur, ab eo separantur, Ens nihilominus Unū,  
Verum, Bonum &c. manet, quod, si conclusio falsa esset, fal-  
sum esset. (2) quia si negativa conclusionis staret affectio-  
nes à Deo quoque realiter distinguerentur, at posterius fal-  
sum est, Ergo & prius.

Conclusio III. Nec tamen discrimen hoc Ra-  
tionis Ratiocinantis est. (1) quia sic pura figmenta es-  
sent (2) quia quodammodo nempe materialiter veræ Enti-  
tates sunt, ergo non sunt omnimodo non Entia (3) quia Ens  
Affe-



Affectionibus instructū est, licet nemo nostrum de iis cogitet.

Conclusio IV. Sed discrimen hoc est Rationis Ratiocinata

Prob. (1) ex remotione discriminum quorum hactenus facta mentio est. (2) quia Affectiones in omnibus Entibus fundamentum reale habent (3) quia Distinctio Affectionum ab Ente formaliter rationis nostræ est, materiale autem illius Ens ipsum est. Tanto clariora hæc conclusionum quaternio fit, si applicationem instituamus. Attributa v.g. Dei quodammodo ab Essentia distinguuntur, aliis enim qui Essentiam conciperet, omnipotentiam, omnipræsentiam, iustitiam &c. formaliter conciperet, hoc autem falsum est, manet ergo illud. Hæc tamen attributa non realiter ab Essentia divina distinguunt, hoc enim si esset, certè Deus independentia sua, æternitate, simplicitate, perfectione, imo divinitate ipsa periclitaretur. Interim non pura figmenta hæc Dei sunt attributa, verè enim Deus æternus, simplex, iustus &c. est, distinctio igitur inter Deum & attributa formaliter sumpta rationis nostræ est, distinctionis fundamentum ipse Deus est.

Α'να(ρεση.

Contrarium statuunt Javellus 14. Metaph. p. 2. & Scotus cum asseclis citante eos Stahl. compend. Met. p. 37. Ille quidem affectiones non esse reales, quod ab Ente non distinguantur realiter, cōtendit. Verum Resp. negando consequentiam. Distinctio rationis esse potest ita tamen ut illius materiale vera realitate sit præditum. In Spiritu simplicitas, illocalitas, intellectus, voluntas &c. non distinguuntur realiter, ergone propterea attributa hæc nō erunt realia? Absurdum. Genus & differentia non differunt realiter, ergone ideo animal & rationalitas in homine Entia rationis erunt? minimè! Scotus cum suis in excelsu peccat, nam affectionibus non realitatem tantum, sed & discrimen reale attribuit. Sed nō pauca ex hæc opinione incōmoda promanāt. Nā si reale datur discrimen inter Ens & ejus Affectiones. Affectiones transcendētales sunt accidētia. imò natura posterioritas, vera cōpositio, & consequenter dependentia, & imperfectio in attributa Entis introducuntur, sed quomodo hæc cum reciproca Affectionum earundemque de omnibus Entibus

B 3

præ-



prædicatione stare possit, ipsi erroris hujus Patroni & videant & defendant.

### PROBLEMA III.

Num quid & modis Entis Affectiones tribui queant?

*Ἰσοσκευή.*

Not. 1. Distingvendum est inter modos afficientes & contrahentes. Sensus problematis hic est: Numquid & modi afficientes modis contrahentibus v. g. *ὑποστάσει* seu subsistenti, suppositalitati vel personalitati tribui possint? (2) Distingvendum est inter modos formaliter & abstractivè sumptos & materialiter seu in concreto. Non quæritur utrum Affectiones possint tribui modis concretivè seu materialiter sumptis, sed an talis sit concedenda affectionum attributio, ut Affectiones modis primariò cōpetant, ita ut formale Affectionū subjectū sint modi contrahentes? Nā quòd Modi materialiter sumpti de Affectionibus participant, Essentiæ divinæ probant attributa, quæ omnibus tribus personis sunt communia, non tamen propterea, quia personæ sunt formaliter, sed quia Unius Essentiæ divinæ Personæ sunt.

Conclusio. Affectiones Entis Modis, ita ut dictum est, attribui nequeunt.

prob. II. Quia simpliciter repugnat Affectiones Entis communicari non communicatā simul, essentia. Quod si igitur Affectiones Modis formaliter sumptis verè tribuerentur essentia, simul iisdem attribueretur, cui tamen formaliter contradistingvuntur. 2. Si Affectiones Modis abstractivè sumptis tribuerentur, ita, ut quemadmodum Essentiæ insunt Affectiones, sic modis quoq; inessent, modi formaliter sumpti & Affectionum & Essentiæ fundamenta essent, quod absurdum est.

*Ἀνασκειν.*



Ἀνεσχευή.

Usus habet hæc nostra conclusio contra Photi-  
nianos inanes Trinitatis oppugnatores. Argumentan-  
tur, meliùs, sophisticantur. Tres Personæ Divinitatis  
l. finitæ sunt l. infinitæ. At non sunt finitæ, quod &  
nostra contendit Ecclesia, nec etiam infinitæ sunt,  
quia aliàs tria darentur infinita, quod simpliciter ab-  
surdum. E. non sunt tres Personæ, & consequenter, ut  
una est Essentia, sic una quoq; persona. Verum enim  
vero respondemus consequentiam eam esse frivolum  
atque frustraneam, quæ à multiplicatione Modorum  
ad ipsius Essentiæ multiplicationem infert. Finitas  
& Infinitas membra opposita sunt Affectionem Entis  
disjunctam constituentia. At Affectiones Essentiæ ef-  
se non Modorum evicimus per hæcenus disputata;  
Manet ergo Deus Essentia Unus, Personis

Trinus,

**CUI SOLI SIT GLORIA!**

**S**idere felici scandis Scultete cathedram,  
Eximiumq; decus nunc Tibi rite paras:  
Gratulor idcirco propter conamina tanta,  
Et precor ut pergas; Sic mage crescet honor!

**Christianus Trentschius P. P.**

& h. t. Acad. Rector.

---

**P**lurima tentando fiunt notissima vobis,  
Hoc jam conatu, Schulze, probabis idem.  
Sic Tibi sedulitate tua jam forte parabis  
In patria laudem, laudo proboq; simul.  
Sis Sophiæ Cultor Patris vestigia sectans  
Sub doctâ, voveo, stirpe viresce benè!

**Abrahamus Calovius, D.**  
Planta





PLanta velut viridis subito se tollit in auras  
Æthereas, grandes auctus nec sumere tardat;  
Sic etiam properans, Nobis præstantibus actis  
Ingenii monstrat Scultetus splendida dona,  
Signaq; doctrinæ promit manifesta futuræ,  
Clara sequi promptus Patris vestigia Clari.  
Gratulor inde, TIBI cathedram quod scandis ad altam,  
Ingeniiq; tui monstras præstantia dona;  
Maeste tua virtute animi, nec cede maligno  
Livori sic crescit honos, sic itur ad astra.

Johannes Meisnerus D.



ENtis quæ natura fiet, quæ propria, monstrat  
Ontologus nobis conveniente loco.  
Commoda multa parit doctis Sapientia rerum,  
Nec, quæ transcendunt, propria obesse volunt.  
Talia scrutaris, SCHULTZI, si pergis adusq;  
Jova tuis studiis dicet ubiq; bene.

Johannes Deutschmann/D.

VIta quid est hominum? quid? cæcæ mortis imago,  
Si sit artis inops. Ars quia vitæ anima est.  
Incipit ergo suam Scultetus vivere vitam,  
Sicut enim fas est instruit arte animum.  
Maeste tuis captis porro, perdocte Respondens,  
Nam sic gaudebunt & pater & patria.

*Hoc pietatis voto eruditè humani, humaniterq; e-  
ruditi Dom. Respondentis contubernalis sui ami-  
cissimi specimen excipere voluit*

PRÆSES.





✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  



KD 18












B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



82

IV

J.

PHYSICIS

ONEM.

ATIONI.

N GENERE,

S

Stamm /

ensis,

ENTE

CO SCULTETO,

fnico,

m ventilationi

M. DC. LXVIII.

Minori.

G. A.,

HAKEN

6

